



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

3 Promissio facta sanctis censetur votum, quia Deo facta videtur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

- 43 *Votum de intranda certa religione, duo in se continet, & quoniam hæc sunt.*
 44 *Vouens sacros ordines sumere, etsi beneficium, aut patrimonium non habeat, uxorem ducere non potest.*
 45 *Votum intranda religionis collationem beneficii postea factam non annullat.*

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 4.

Morbo grauissimo ad mortem vexatus, & multa pia facere proponens, & inter alia declarans, & disponens religionem ingredi, Deo sibi sanitatem concedente, ipsa sanitate secuta religionem ingredi non tenetur, c. literaturam, de voto. Quia cum aliud sit velle aliquid facere, & aliud obligare se ad id faciendum, & a diuersis illatio fieri non debet. l. Papin. ff. de minoribus. Nullum propositum, quamlibet firmum, nec deliberatio vlla quantumuis resoluta efficere potest votum, aut promissionem obligantem de præcepto adimplendi proposita deliberata, & dicta nisi promissa, & voueat illa facere, ex S. Th. 2. 2. q. 88. art. 1. & 2. Arch. in cap. qui boni 17. q. 2. 1. & Nau. in Man. cap. 12. num. 24.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 28.

Agrotus vouens religionem Minimorum, aut aliam religionem particularem ingredi, & sanus effectus Generalis religionis illius, qui non vult eum recipere, non satisfacit voto, nec absolutus ab eo sine alia causa in id accedere, censetur; licet enim vouens ingredi religionem in certo monasterio, quod non vult eum recipere declarari possit a voto absolutus, ex Nau. in Man. c. 12. n. 48. Vouens tamen Religionem in genere, vel in specie, non se restringitur ad aliquod monasterium, alias religiones querere tenetur, licet ab aliqua, vel ab aliquibus repudietur, ex Cai. 2. 2. q. 188. a. 3. Nec sufficit refutatio solius Generalis, non reddita saltem causa sufficienti, quare omnia monasteria suæ religionis eum refutare debeant. Quia si cur acceptatio, & admissio volentis ingredi religionem pertinet ad prælatum, & conuentum monasterij, gl. in c. si de reg. in 6. ita etiam refutatio ad eosdem & non ad Generalem spectabit; potest tamé Generalis, vel Prouincialis causa cognita, & auditis partibus, suis subditis iubere, ne aliquem tali, vel tali de causa recipiant; Refutatus autem a maiori parte Prælatorum, & conuentuum Regni, vel magnæ prouinciæ, liber a voto censeri debet.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 8.

Pvella, quæ deliberatè in manibus episcopi visitatoris se monalem futuram promittit, votum simplex de intranda religione facere non censetur, & proinde valide sponsalia non obstantè dicta promissione, contrahere valet. Quia cum de essentia voti sit vt promissione fiat Deo, adeo, vt professio facta sanctis ideo censetur votum, quia videtur facta Deo, quatenus nimirum sancti deificati sunt, & participatione quadam dii facti; ita contratio si cur promissio facta sancto de aliquo bono, tanquam homini rationali, non habito respectu quod sit deificatus, votum non censetur, ex Cai. 2. 2. q. 88. art. 5. sic neque promissio facta homini ad faciendum illum certiore tempore futurarum, votum erit. Cum itaque promissio facta per præfatam puellam non erat facta Deo de se faciendo religiosam, sed tantum Episcopo facta fuit ad certificandum illum de voluntate faciendæ religiosam, consequenter votum fecisse non censetur.

DECISIO IV.

Ex conf. 4. alias 13.

Rvsticus castitatem vouens, simulque religionem quandam intrare, ne sciens tamen an tunc intenderet se ad castitatem seruandam obligare, licet ad dictam religio-

nem non admitteretur, si postea admittat religionem non possit, in dubio partem rutiorem eligere teneretur; capit. iuuenis, de sponsal. & ca. ad audientiam, de homic. & proinde reputare se debet obligatum ad castitatem etiã extra religionem seruandam, quamuis ob talem dubitationem facilius erit dispensationem a Papa per sacram Pœnitentiam obtinere.

DECISIO V.

Ex conf. 5. alias 19.

Vouens presbyter fieri, & postea non alia de causa, quam pœnitentia ductus obtinens commutationem, vt quolibet mense in vita sua frequentaret confessionem, & communionem, non obstante hac commutatione, tempus presbyterij per sacros canones præfixum, puta vigesimum quintum annum expectare, & presbyter fieri, si possit, aut votum prius in aliud melius, vel æquale bonum commutare tenetur; quia cum voti commutatio, vel in aliud opus melius, vel saltem æquè bonum fieri debeat, ex Nau. in Man. cap. 12. num. 63. & confessio menstrua, & communicatio æquæ pollens opus assumptioni presbyteratus non sit, obligatio primi voti adhuc durat, & in tuo robore permanet, nec per talem commutationem inuadit, & nullam tolli poterit; quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, cap. Non præstat, de regu. iur. in 6.

DECISIO VI.

Ex conf. 6. alias 3.

Habens propositum inuadendi vitam, & intrandi religionem, postea tamen sponsalia cum virgine contrahens, sed sine præsentia parochi, cum præfata virgine Matrimonium contrahere tenetur; quia neque propositum etiam sæpius iteratum, aut diu continuatum votum constituit, aut obligationem necessariam intrandi religionem inducit, c. literaturam de voto. & Panor. ibi. & Nau. in Man. c. 12. nu. 24. neque Concilium Tridentinum, sess. 29. c. 1. de ref. Matr. sponsalia de futuro contracta sine præsentia parochi annullat, sed tantum sponsalia per verba de presenti ex Nau. in Man. c. 25. nu. 144. & ideo ad contrahendum Matrimonium virtute sponsaliorum obligatur, quãuis & ipsa etiam per ingressum, & professionem religionis dissoluantur, c. 1. de conuers. coniug.

DECISIO VII.

Ex conf. 7. alias 1.

Cum iudicium, quod sufficit ad aliquem obligandum diabolo, sufficiens etiam sit ad obligandum Deo, gl. in c. mulier. 32. q. 2. & constat, eum qui proximum ferit, vel occidit per iracundiæ calorem peccare mortaliter; consequenter votum in æritudine, præliis, navigationibus, calore iracundiæ, aut aha animi perturbatione factum, quæ hominem insanum, vel furiosum non reddit, nec iudicium rationis penitus tollit, vouentem ad illud implendum obligat, Panor. in ca. dudum, de conuers. coniug. & Nau. in Man. c. 12. num. 24. quamuis vota sic facta a Prælati iuste commutari, & dispensari possunt, c. 1. & 2. de voto, & Nau. in Man. c. 12. nu. 24. & 77.

DECISIO VIII.

Ex conf. 8. alias 5.

Qui dicit Deo, *Da mihi Domine salutem & ego seruiam tibi* intelligendo mente de seruitio in statu castitatis, & continentia, votum seruandæ castitatis emittit se censetur, ad eamque seruandam obligatur; cum mens dicentis fuerit, (cui maxime attendendum est) se ad castitatem seruandum, secundum propriam verborum significationem, obligare.

DECISIO IX.

Ex conf. 9. in vtrisque.

Sacerdos beneficiarius in articulo mortis vouens castitatem, paupertatem, & obedientiam in manibus Prioris alicuius Monasterij, et in præsentia sui confessorij, aut mo participandi suffragia ordinis prædictorum Prioris, et confessorij; quamuis ex tali uoto religiosus factus non